

- I. Bericht vom Abschied d. Bernharten zu Anhalt-Könnig
— von Ziegen Leisprecht.
- II. Leisprecht Georg Gemingen zu Braunshweig.
- III. Abschied v. Leisprecht G. Abt Kayser.
- IV. Abschied G. Eszkiani Königs in Anhalt.
- V. Bericht vom Mord zu Montalto in Neapoli bey Anno.
- VI. Carmen De Vita et Obitu Bernhardi Principis Anhaltini.
- VII. Oratio de Vita et Morte Dni Christophori Ducis Wirtenbergici.
- VIII. Elegia in Obitum Agnes conjugis Johannis Ernesti Pr. Anhaltini.

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Nee. u

A.

8.

ELEGIA

IN IMMATURVM
OBITVM ILLV-

STRISSIMÆ PRINCIPIS AC DOMINÆ
D. AGNÆ COMITIS DE BARBY, &c.
Coniugis dulcissimæ Illustrissimi Principis ac
Domini, D. IOACHIMI ERNESTI Princi-
pis Anhaltini & Comitis Ascaniæ &c. quæ
ex hac ærumnosa 27. Nouemb.
vocata vita nunc æterna
beatitudine frui-
tur.

VVITEBERGÆ

Excudebant Clemens Schleich &
Antonius Schöne.

Anno

M. D. LXIX.



Heu quam triste viro Dominae tam lubrica fide
Pene sub extremo fata videre die.
Heu quam triste viris carnem quae carnibus haesit
Principibus summo deseruisse die.
Indefessus amor non mortis dura veretur
Vincula, nec tumidi murmura saeva maris.
Admonitu carae (licet haec tumultata quiescat)
Coniugis absentem mollit amore virum.
Non queror ulterius quamuis sint plena dolore
Pectora, sollicitis cordaq; pressa malis.
Nam tu Christe diem certum mortalibus ipse
Distribuis vitae mortis & aequus iter.
Mox hunc mox illum properanti pallida gressu
Mors rapit, & caeco turbine cuncta trahit.
Cuncta trahit calcatq; aequis Iuuenesq; Senesq;
Calcibus, & firmum nil finit esse diu.
Hic status est hominum morti subiectus anhelae,
Qui cadit vt vento pinus adacta vago.
Nunc tu Christe Deus qui certo cuncta gubernas
Consilio, praesens continuabis opus.
Si vis vt viuat Genitor sanctissime, viuat
Heu caput ærumnis usq; fidele meis.
Si uis ut claudat placido sua blanda sopore
Lumina, sub nutu stat Deus alme tuo.
Perdita tu roseo sanasti cuncta cruore,
Imperioq; iacent subdita cuncta tuo.
Si uiuet res grata mihi, sed gratior astris
Si defuncta malis incolet illa Polum.
Sancta Dei fiat terra caeloq; uoluntas,
Meq; meosq; tuo numine Christe rege.
TOR queor in longas moerens violentius horas
Morte tua, nec me gaudia prisca iuuant.
Morte tua penitus perierunt gaudia nostra,
Ocia nec nobis ulla quietis erunt.

Cura

Curarum requies mea Lux, mea Vita, meum Cor,
Nullus te lachrymis flebit in orbe satis.
Heu mihi non virides tecum spaciabor in Hortos,
Pectore quò iunctos saepe trahebat amor.
Basia nec blando capies sub cespite posthac,
Basia de labris saepe profecta meis.
Nec iunctis sanctas conscendam passibus aedes
Vnanimis tecum concelebrare Deum.
Nec violas mecum molli sub gramine carpes,
Non super ardoris fax erit vlla tui.
O quoties tecum curarum dulce leuamen
Audiui Salæ quam leue murmur aquæ.
Sape cibum sumpsi suaues vbi pignora Nati
In gremio vigilis cura fuere tuo.
Nocturnas etiam placidè transegimus horas,
Corpora tradentes pressa sopore Deo.
Dij mihi sunt testes nil Lux mea, dulcius vnquam
Coniugij vidi quam pia cepta mei.
Te colui mitis magè me uenerata colebas,
O pia coniugio pectora fulta sacro.
Atq; tuo tectis blando detentus amore,
Detinuit fortum ceu pia Cerua suum.
Vt nunc tabe iaces consumpta miserrima, nulla
Vitales fessæ reddit & aura sonos.
Ergò iaces mea Vita, mei medicina doloris,
Et quæcunq; mihi grata fuere iacent.
Non ego post viridi spaciabor gramine campi,
Nec mihi post somnus cespes amœnus erit.
Sed sine te mea Lux scopulos alpesq; niuosas,
Quas hominum nullus vidit in orbe, petam.
Illic verba querar scopulos motura feroces,
Et querula nomen voce vocabo tuum.
Tunc tua syderea sub nocte recurret Imago,
Et mihi non sandi causâ doloris erat.

A iij Ante



Ante tamen tumulo supremum mœstus honorem
Cum violis addam verba legenda nouis.
Hoc Ducis Ascanij consors dulcissima membra
In Christo posuit nuper humana loco,
Auctrix cui primum generosæ Barbya stirpis
Re purum vera nomen habere dedit.
Hæc mihi nupta suum transegit puriter æuam,
Nomine sed puro sanctior illa fuit.
Nunc pertæsa solum conuexi sydera cœli
Aethereo supplex patre vocante subit.
Hæc quicunq; vides positi monumenta doloris,
Hic cubat ERNESTI dic pia cura DV CIS.

QVID queror infelix iustè cum conditor orbis
Affligat pœna non prohibente pios.
Scilicet exemplum fidei veræq; salutis
Ut discant pœna sic properante sequi.
Dat mala sæpe Deus veniam quoq; sæpe malorum
Donat, & ignaros in pietate docet.
Non igitur iussis verboq; resistere Diuim
Nec fas est superum de pietate queri.
Te Deus incolumem seruet si sancta voluntas
Hoc volet, & veterem penset amore nouo.
Te Deus ad superos volet hoc si summa potestas
In gremium Nati portet ab orbe sui.
Si viues, viuam, tumulo si membra recondas
Sit vitæ custos Christus vbiq; tuæ.

AGNES CONIUNX.

CVR mea mœrenti deflebis funera luctu,
O mihi Phœbæa candide luce magis?
Cum mors sit commuue bonum Iuueniq; Seniq;
Et vitæ merces sancta futura meæ,
Siste precor lacrymas & mœstum desere luctum,
Heu lacrymis moueor blande Marite tuis.
Heu

Heu nimium iucium cum Natis optime Princeps
Suggestit in mentem vita peracta mihi.
Fida tui colui ceu propria lumina Vultus,
Illustres mores Ingeniumq; pium.
Et matutino superos & tempore sero
Ex animo colui Numina culta mihi,
Nunc si fata velint pressam reualescere morbo
Auxilio superum Fœmina salua forem.
Hic nihil Herba potest Medici nec cura laborq;
Et vires Herbis da t Deus atq; rapit.
Magna licet Medicus promittat, magnaq; iactet,
Hic tamen inuito Numine nullus erit.
Viuat longævam dederint cui Numina Vitam
Sic mihi vita brevis sit magè longa tibi.
Non tamen in terris est vita beatior illa
Pacata donas quam Deus alme prece.
Mors est mundani merces extrema laboris,
Per mortem veniunt gaudia sancta piam.
Ergo age nunc gemitus sub pectore pelle latentes,
Mollia cum Proceres temnere corda decet.
Hoc mihi credideris tantum cepisse dolorem
Cum ferres lacrymas ad mea strata tuas:
Quantum non cepi (Pietas ignosce) parentum
Morte, nec ex fratris sorte rogoq; mei.
Aspicias vt pallent exhausto sanguine venæ,
Corpus & vt macies inficit atra meum.
Defluit ex teneris tristissimus humor ocellis,
In lacrymas succum cernis & isse meum.
Nunc dolor includit vocem percussus amore
Natorum tribuens cuncta regenda Deo.
Salve igitur dilecte Deo dulcissime Princeps
Cum natis salve tempus in omne tuis.
Nil lacrymæ profunt occasu solis ad ortum,
Cœlestis viuas Gratia fundit aquas.

Salve.

Salve iterum Natis Dux clementissime nostris,
Ad mea purpureas bustaq; ferto Rosas.
Augeat aethereo Christus tua regna favore,
Floreat Ascani semper ut Aula Ducis.
Spiritus e terra nunc noster in arua piorum
Ibit & aeterna pace beatus erit,
Maturisq; velut terrae cum semen aristis
Conditur, in gelida robor a sumit humo.
Sic homo sub terris post fata nouissima vires
Sumit, & inclusa iam reuiuifcet humo.
Nunc me Christe foue donec tumulata sepulchro
Flamine diuino massa resurgat humo.

Leonhard: Vncius

Transyl:


Nr 68,
8

ULB Halle 3
003 011 348


f
h.

22







IN
R V
STRIS
D. AD
Conit
Domi
pis



B.I.G.

Farbkarte #13



V.
Æ
oc.
ac
ci
e

8.

